RUPERTUS TUITIENSIS
2. Hälfte 12. Jh.
Seite 6v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36521
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Talis dulcedo pulchre in duo ubera discernitur. quia
duo sunt data eiusdem spiritus sancti. Alterum datum est in remissione
peccatorum. cuius uidelicet dati ubere nullus ante
hanc beatam uirginem lactatus est sanctorum antiquorum.
Alterum datum est in diuersarum diuisiones siue distri-
butiones gratiarum. quo uidelicet ubere lactati ueteres
sancti. et prophetauerunt et multa miracula operati sunt.
Vtrorumque huiusmodi uberum letificata dulce-
dine ineffabili dicitur concipis. O uirgo beata. dum
tibi fit secundum hoc uerbum angeli. spiritus sanctus super ueni-
et in te et uirtus altissimi obumbrabit tibi.
quia duabus clausulis iam dicta significantur
duo data eiusdem spiritus sancti. Quid aliud diceres. nisi
ungentis optimis. Non fueras experta uinum huius
seculi. uinum uoluptatis carnalis. siue cuius ebrie-
tate nulla umquam mulier preter te concipere
potuit aut poterit. et tamen diiudicare no-
sti quam melior. quam uehementior. dulcior
autem fortior esset uoluptas. amor siue dei in quo
concepisti. sine dubio potata illius torrente uo-
luptatis. Et tu quidem ueraciter dicere potu-
eras. ecce in iniquitatibus concepta sum. et in pec-
catis concepit me mater mea. cum enim esses de
massa que in adam corrupta est hereditaria
peccati originalis labe non carebas. s; ante faci-
em huius amoris peccatum nec illud nec aliud